

eK. 59. 3.

73

EZRA ET S P O N S U S S A N G V I N U M

Nomen, quo Zippora Filium in Itinere circumcisum vocavit (*Ex. 4, 25.*)

Exod. IV. 15. 16.
EXERCITATIONE THEOLOGICA
EXPLICATUM,

Quam
DEO AUXILIANTE
IN ACADEMIA REGIOMONTANA

Sub Praesidio

DN. BERNHARDI von SANDEN,

S. Th. Doctoris & Prof. Prim. Concion. Aulici Prim.
& Consiliar. Consistorial.

habebit

GODOFREDUS HENRICUS GOLTZ,

Regiomont. Prussus.

A. MDCCXIII. d. 18 Julii H. L. C.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.



PATRIÆ, PATRONIS

ET

AMICIS

*Dissertationem hanc Theologicanam
humillime consecrat*

Godofredus Henricus Goltz,

in liberdadis eius oratione illa pars illius quo & tuus in eis uolentes
in deo. V. 10. multo dulcior. LX. regis cunctas liberas
eibiuslib. M. et alij omnes q. ad M. dup. cunctos ab eo illis
tunc in eis dulcior. q. d. imp. q. d. illi me nollam mudi.

I.

Un Moses ad DEI mandatum redditum in Ægyptum ex re-
gione Midian, ubi haec tenus apud Jethronem, cuius filiam
Zipporam sibi desponsaverat, & ex qua binos filios, Gerso-
nem & Eliezerem, suscepserat, commoratus fuerat, pararet,
in itinere, dum in diversorio cum uxore & liberis esset,
occurrit ei Dominus, & quidem iratus, interfecturus eundem, vel per
morbum aliquem lethalem, quem ipsi Deus immisit; quo sensu verbum
פָנַח quandoque accipitur. Ut Verbum **פָנַח** Exod. V. v. 3.
Vel per angelum terribili aliquam specie, forte stricto gladio, quem ad-
modum Bileamo Num. XXII. Iosuæ Jos V. & Davidi 2. Reg. XXIV.
17. apparuit. Cur DEus Mosi tam graviter succensuerit, non erat,
quod iter non maturaret, & in diversorio moram traheret, ut quidam
volunt; Non enim poterat hoc iter una die confidere, propter distan-
tiam loci, ex quo proficisci ebatur respectu Ægypti, quorum iter diri-
gebat. Neque quod Uxorem & liberos, qui ipsi in hac expeditione,
quam ex speciali divina vocatione suscepserat, impedimento essent futu-
ri, ut volunt alii, secum sumpisset; communem enim legem Conjugii
secutus est, juxta quam *Vir adberet Uxori* Gen. II. 24. & suspicioarem,
quasi deserturus esset familiam suam, apud Jethronem Sacerum decli-
nare studebat. Neque quod Moses non firmiter crederet Deo, qui
promiserat, populum Israelicum in egressu suo servitum Deo in il-
lo monte, Exod. III. 12. indeque uxorem & liberos secum duxisset in
Ægyptum, uti vult Lightfoot in Spicil. vid. Theodor. Interrog. in
Exod. ITom. I. Oper. Recte enim Abarbene id potius majorem fiduci-
am Mosis ostendere dicit, nihilque se timere a Pharaone & Ægyptiis,
qui uxorem & charissima pignora, non dubitassem secum adducere in
Ægyptum: Omnia minime, ut cædem, quam olim zelo incensus
admisserat, vindicaret: Vid. Isidorus Pelus. Epist. Lib. I. cap. 125. Sed
unica & vera causa, propter quam DEus Mosi in via ira fecerat, erat,
quod circumcisio nem filii hujus secundo geniti, omisisset vel distulisset.
Sive quia filius hic in itinere fuerat natus & propterea parcere voluerit

A

tercello

tenello infanti, sicut & postea Israelitæ in deserto natis infantibus distulerunt circumcisionem per XL. annorum spatum Jof. V. 5. Vel ut alii rectius sentiunt, quia Moses in gratiam uxoris suæ Midianitidis Circumcisionem filii hujus, qui forte paulo ante profecitionem natus fuerat, distulerat, blanditiis aut imperiosis exprobationibus illius fratus aut commotus. Severius vero Deus Neglectionem Sacramenti hujus, quod sub comminatione excisionis est populo Dei, demandaverat, aut Indulgentiam in dilatione ejusdem, castigabat in Mose, ne velejus missio tota ex hoc ipso facto suspecta redderetur filii Israhel; vel alii occasio existaret, temere violandi divinas leges, in primis quia per ipsum divinæ leges populo erant promulganda & inculcanda, vid. Isidorum Pelusiota loco citato. & Tertullianum lib. adv. Judæos c. 3. p. m. 136. Hanc causam divinæ occulsionis ad necandum Mosen vel ipsa Zippora agnoscit, quare ut virum a morte liberaret arrepto cultro, sive silice, quo utebantur incolæ istius loci, pro cultro, filio præputium præcidit, siveque maritum à plaga divina, quæ ipsi mortem minabatur, liberat. Notabilia tamen, quæque accuratiorem considerationem merentur, sunt verba, quæ ad hanc circumcisionem filii prolocuta est Zippora, quæque proterea à Spiritu S. sunt consignata in hac historia Exod. IV. 25. 26.

וְתַקְחْ צָפֹרָה אֶשׁר וְהִכְרֵת אֶת עֲרָלָת בְּנֵךְ וְתַגְעֵן לְרָגְלָיו
וַיֹּאמֶר כִּי חַתֵּן רְמִים אַתָּה לֵי : וְזֹרֶף מִמְּנוּ אֵל אֶמְדָה חַתֵּן
Et Zippora arripuit silicem acutum &
amputavit præputium filii sui, & admovit ad pedes
ejus, Et dixit: Certè Sponsus sanguinum es mihi. Et
destitut ab illo (Dominus) Tunc dixit illa: Sponsus
sanguinum propter Circumcisiones.

II.

De facto Zipporæ, quo ipsa præsente Marito filium circumcidit, ut maritum è fauibus mortis liberet, quæstum fuit à Theologis, num pro temerario & illico an vero pro laudabili & salutari sit habendum, & num ex hoc ejus exemplo licet argumentari, quod sicut ipsa Mulier circumcidit in casu necessitatis: Sic & baptismum itidem in casu necessitatis mulier, obstetrix, sive quilibet Laicus citra sexus aut officii respectum possit peragere. Negativam defendunt Reformati. vid. Joh.
Calvi.

3

Calvinum lib. 4. Instit. c. 15. sect. 22. Bezan part. 2. quest. & resp.
Rivetum Comm. in h. l. Affirmativam Nostrates. Vid. Gerhardus loco
de Bapt. §. 33. & seqv. Rungius Comm. in h. l. D. Waltherus Spongia
Mosaica p. m. 711. in h. l. Etsi enim factum Zipporæ singulare fuisse
& extraordinarium fatecamur, non promiscuè imitandum mulieribus,
aprobatum tamen fuisse à DEo, patet ex Molis restitutione. Cum
morte luctabatur, adeoque ipse circumcisionem expedire non poterat;
Ergo non temere sed necessitate sic cogente, Zippora cultrum in præ-
sentissimo mortis Mariti periculo, arripit, filiumque incircuncisum,
propter quem Mosi moriendum erat, circumcidit: Quod & fecere post-
ea Mulieres Maccabaicæ, quæ, cum sacerdotibus non licet per Tyran-
nidem Antiochi circumcidere infantes, ipsæ leguntur circumcidisse fi-
lios i. Maccab. I. 63. vid. 2. Maccab. VI. 10. Ubi vero similis est ca-
sus necessitatis circa nostrum initiationis sacramentum, quid obstat, quo
minus & illud ratum habeatur, etsi per feccinas Christianas, observatis
tamen iis, quæ ad essentiam sacramenti pertinent, expediatur. Quando-
ordinarii Ministri opera haberi nequit & periculum est, ne moriatur in-
fans absque salutari lavacro initiationis, major habenda est ratio Sacra-
menti quam ordinis, præsertim cum in N. T. sublato Levitico discri-
mine personarum, Christiani omnes sanctificati sunt. Quare & Con-
cilium Carthaginense IV. cui interfuit Augustinus, & Florentinum,
permittit, in casu necessitatis Mulieribus administrationem Baptismi.
Vid. lib. 4. sent. 4. & in Decret. Gratiani Can. mulier de Consecr. dist.
4. Verum de facto Zipporæ hic disquirere nostrum institutum non
est, qui verba ejusdem, quæ, dum filium circumcideret, prolocuta di-
citur, consideranda & trutinanda sumpusmus: Cum se, inquit
הַתְנֵן רְמִים אֶתְתָּה לִי: *Sponsus sanguinum es mibi,*

III.

Primo hic queritur: *Ad quem Zippora haec verba direxerit? & quie-*
sit ille, quem tanquam רְמִים ipsa compellit? Nam ex solutione
hujus dubii, multum lucis accedit integra sententia. Non potest verò
illud promptius expediri, quam si dispiciamus, quis sit ille, *cujus pedes*
dicitur terigisse Zippora. Videtur enim relativum in voce רְמִים re-
ferri ad eundem, cui dixit: *Sponsus sanguinum es mibi.* Hinc ortum
est sententiarum divortium. Quidam enim relativum illud referunt

A 2

lad

ad pedes Angelii, quasi humili corporis procumbentis, gestu Angelum
perdere volentem Maritum deprecari aut placare voluerit, ut exponit
Cajetanus apud Cornelium, à Lapide in h. l. In hunc sensum LXX.
qui occursum hunc Domini per Angelum factura volunt, verterunt
καὶ περοτέπεσε πρὸς τὰς πόδας αὐτῶν, καὶ εἶπεν· ἐσή τοι αἷμα τῆς πε-
ριτόπεσε τῷ παιδίσκῳ μου. καὶ ἀπῆλθεν επ' αὐτῷ οἱ ἄγγελοι. διότι εἶπεν
ἐσήν (Drusius putat legendum esse ἐσώ sit, August. legit cum aliis ἐσή
& vertit, stetit). τὸ αἷμα τῆς περιτόπεσε τῷ παιδίσκῳ μου. Targum
Onkelos habet קָרְבָּת לִקְרָמֶת Et obrulit, sc. præputium abscissum a
sanguinis stillas à membro circumcisio cadentes ante eum, di-
cens, propter sanguinem circumcisionis istius datur sponsus meus vobis.
Cum quo & Arabs facit, qui haec verba reddidit, Et obrulit eum in con-
flictu ejus. Targum Hierosolymitanum disertius וְנַחֲרִיבֵת יְהוָה
Et obrulit (al appropinquare fecit) illud
coram pedibus perdentes, dicens: Sponsus meus volebat circumcidere, et
sacer ejus non permettebat ei. Nunc ergo propitius esto propter sanguinem
circumcisionis istius, peccatis Sponsi mei, ut habet Fagi. Cartwright
verò vertit: Nunc propitiabitur sanguis Circumcisionis unius pro pecca-
tis Sponsi mei. Nec non Jonathan: Et appropinquare fecit præputium
excisum pedibus Angelivastatoris. Verum merito hæc expositio dispi-
cet alis Interpretibus, qui tūm Targumistas tūm Græcos à verbis Tex-
tus Aþtentici manifestò recessisse & falsæ hypothesi, quasi circumcisionis
fuerit προφυλακτὸν ad propulsandam Angelii alicujus incircumcisus
infesti, plagam lethalem, inferire eosdem voluisse arguunt. Certè
verbum עזז tangere significat propriè & attingere tūm in bonam tūm
in malam partem, unde & ferire, percutere, laedere significat; In Hiphil
vero tanquam פועל verbum transitivum se admovere vel abi-
cere aliquid, ut B. Joh. Frischmuth Disp. de circumc. Zipporæ Cap.
III. s. 4. annotavit ex Michlal Jophi & Buxtorfi concordantiis. Nu-
spiam vero in sensu adorationis aut oblationis legitur usurpatum. Esti
vero, ut monet Cornel. à Lapide Comm. in h. l. Tangere pedes inter Ju-
dæos fuerit amoris reverentia & adorationis signum & alijs etiam sup-
plices ad genua provolverentur, tamén hōc loco tale quid hac phrasij non
indicatur: Non enim hic simpliciter agitur, de tactu pedum sed de tali
tactu, qui factus sit per præputium: Nulla quoque redi potest ratio,
quare

quare Angelum perditorem mariti, aut Virum sub intersectoris specie apparentem, *sponsum suum* vocaverit Zippora. Itaque rectius hæc περὶ Φώνης vel ad Infantem ex sanguine circumcisionis madentem, vel ad Mosen, propter quem eliciendus erat sanguis tenello pueru, refertur.

IV.

Illi qui ad puerum circumcisum hoc ipsum dictum volunt a Matre, censent ad ejus pedes projectum vel admotum fuisse præputium & per pedes ejus intelligent ejus *genitalia*, quæ per pedes honestâ circumlocutione designari existimant Gen. XLIX. 10. aſi eſet hæc descriptio ritus observandi in circumcisione, ut præputium præcisum pueri circumcisioni genitalibus admoveretur, cui addita fuerit hæc formula solennis יי' *Sponsus sanguinum es mibi*, à matre, filiolum circumcisioni ulnis amplexante, & ſibi de circumcisione ejusdem gratulante. Hanc expositionem tuentur Medus, Schindlerus atque Spencerus provocantes ad Arabum morem, qui Chatana circumcisionum vocant, nec non ad autoritatem Aben-Ezra & R. David Kimchi, quorum ille in h. l. ait חתנָה הנשׁים לקרוֹן כאשר ימול מMulierum filium cum circumciditur *sponsum* vocare. Sensum vero verborum ita explicat *אִישׁ רְמֵם אֶתְרַלְיָהוּ כִּי בְּעִירָךְ יָמֹת בְּעַלְיָהוּ* *Vir sanguinum tu mibi es: Nam proper te interficitur maritus meus:* Cum quo & R. Salomon Jarchi concordat. Hic vero in libro Radicum rationem reddit, quare matres filium recens circumcisionum חתנָה Sponsum vocent, quia sc. die circumcisionis novum gaudium matris paratur, ut die nuptiarum; Schindlerus in Lex. Pentaglotto, ait, inde puerum circumcisionum sponsum vocari, quia per hunc ritum Deo & Ecclesiis ipsius conjungitur & defondatur. Spencerus Lib. I. Leg. Hebr. cap. 4. Sect. V. p. m. 81. ita pronunciat: *Circumcisus omnes ritu illo tanquam anulo, Deo defonsari, in filiorum ordinem adscisci & familiæ ſue conjugi censēbantur.* Verum ſicutini nihil de attacū ſeu admotione præputii abſcissi ad genitalia, aliaſ occurrit in Traditionibus & Constitutionibus Hebraeorum de Circumciſione, quæ reſententur à B. D. Sebaſt. Schmidio Parte II. de Circumciſione ex Maimonide, libro Col Bo Schulchan Aruch & בְּסָבֵד ſeu Libro præceptorum Magno, ſicq; non dicendum fuifet ut וְתִזְעַ בְּגָלִיל וְתִזְעַ לְגָלִיל ut monet B. D. Pfeifferus Dub. vex. Cent. I. loco 85. Itaque de appellatione Sponsi

qua salutetur recens circumcisus, afferuntur ex recentioribus, non vi-
 dentur hoc quadrare, quia ex nullo exemplo alio ostendi potest, quod
 jam Mosis avo, circumcisi pueri Sponsi fuerunt dicti, nec probabilis sit
 ratio appellationis adducta, quasi eam Midianitis, quae hactenus con-
 temporat hoc sacramentum, haberet perspectam. "Difficulter indu-
 "ci possum ut credam, eam significationem jam tum Sephora etate ob-
 tinuisse, quia talis locutio & meditatio non nisi ex foedere Dei origi-
 nem traxit, & opinionem, quod Sacramento Circumcisionis Despon-
 "satio cum Deo fiat, fundamenti loco supponit. Quae cogitatio, cum
 "Israelitis potius quam Arabibus in mentem potuerit venire, ego cum
 "Jacob Gusseto (Com. L. Ebr.) existimaverim, primos fuisse Israe-
 litas, qui vocem γῆραν circumcisioni accommodarint, scribit Salomon
 Deylingius Observ. Sacr. Parte II. Observ. X. §. 8. Neque obstat quod
 Midianita ex Abrahamo per Keturam descendentes observaverint pro-
 cul dubio circumcisionem, quam hodiensem Ismaelitae propterea admittunt.
 Etsi enim negari forte non possit, filios immediae ex Abraham
 Uxore secunda Kethura natos, fuisse circumcisos, cum tamen cessasset
 apud eos peculiaris illa Dei dispensatio, qua in Jacobi familia Deus sub-
 inde novis revelationibus foedus suum confirmavit, etsi fuerint inter
 Midianitas & similes, qui persistenter in cultu communi Deo debito,
 inter quos fuit & Jethro ejusque familia; Intercidisse tamen paulatim
 circumcidendi pueros ritum verisimile videtur, cum illi à reliqua fami-
 lia separati, finem illius sacramenti non satis intelligerent. "Quis ex
 "verbis foeminae Midianitidis commotæ ob circumcisionem infantem &
 "pericitantem maritum, excusat morem, qui fuerit tempore Mosis?
 "Ajuvit pueros apud Hebreos ipso circumcisionis die appellatos fuisse
 sponsos: Petimus dari exemplum, nullum profertur. Loco exem-
 "plici pugnant auctoritate Onkelosi. Accipimus testem, sed memento
 "te quid probandum sit -- Audite Onkelosum loquentem ad vers. 25.
 "Propter sanguinem circumcisionis istius, detur Sponsus meus vobis
 "ver. 26. Nisi sanguis circumcisionis istius esset, reus mortis factus
 "erat Sponsus meus --- Mosen esse Sponsum cuius Sephora meminit,
 "non puerum circumcisione inde constat, „ ait Collocutor in Vesperis
 Græningianis, Colloquio I. de Sententia Medi disserens, p. 11. & seqv.
 Alias rationes laudati Angli ibidem ita perstringit. "Arabibus γῆραν
 "est circumcidere, quid inde? Apud Hebreos filium circumcidendum

ipso circumcisio[n]is die Spōnsum fuisse vocatum? Fiat argumentum.
חַתָּן non significat sponsum sed generum; At concessum maritum
fuisse vocatum Sponsum saltem sponsaliorum die. Hoc fatentur, sed
nomen illud Marito negant dari unquam amplius post solemnia nu-
ptiarum. Hoc nobis sufficit. Sephora maritum redivivum videns
suum חַתָּן merito vocaverit veluti novo sponsaliorum die. Si quos
Rabbinos testes advocant illis alii non minus credibiles opponuntur.
Nullas videmus afferri rationes, quæ aliquam habeant veri speciem
ab illis, qui hæc verba ad infantem referunt. H. l.

V.

Altera sententia, juxta quam Zippora creditur tetigisse pedes Mo-
sis & consequenter eidem dixisse: *Sponsus sanguinum mibi es*, magis
nobis arriet. È enim nos ducit tota series narrationis hujus. Si
enim illa bene expendatur, relativum Ejus non potest commodè ad ali-
um referri, quam ad eum cui Dominus occurrit, occisurus eum v. 24.
quemque Zippora per circumcisio[n]em filii, liberare volebat ex morte,
& de quo mox dicitur: *Et discens ab eo וְרֹא שָׁמֶן* sc. Deus aut An-
gelus, qui Mosen persequebatur. Cum enim vox sit masculini gene-
ris, nullo modo potest quadrate illorum sententia, qui id referunt ad
Zipporam, quasi offensa hac necessitate filium circumcidendi, recesserit
a marito & ad parentem redierit. Idem inter Hebraeos doctissimi fa-
tentur magno consensu. R. Abarbenel disertè כנער לרבי ל' משח
retigis ipsa pedes Mosis & dixit: Kimchi quoque & cum ipso Autor
לפי ר' עטרו לרבי משח Aben Ezra Michlal Jophi Mea sententia ad pedes Mosis sc projectit. Scilicet dolet Zippora quod
spretis genti[s] suæ procis, apud quos tantum periculum vel ex neglecta
vel admissa circumcisione in tenella mascula prole, metuendum haud
erat, Viro Hebraeo nupserit, deploratque, quod viro, qui sanguine redi-
mendus erat, despontata fuerit, ac inde exclamat חַתָּן רִומָם אֲתָה לֵי
Tu Sponsus sanguinum es mibi. Quasi diceret, juxta expositionem Fa-
gii: *Sanguine te redimere & retinere cogor, nempe sanguine filio[rum] mei,*
quem nisi circumcidissem, ac sanguinem ejus fudissem, actum erat de
vita tua. Vel ut Jacob Gussetus c. 1. apud Deyling. Part. 2. Observ.
X. s. 9. hæc παρερχεται. Tu mibi desponsatus es & in maritum datus
fueristi ea Lege eaq[ue] malo omne, ut homicidia admitteremus eaq[ue] in nostros
filios, quibus circumcisio ex uestro Ebraeorum ritu tam teneria est infe-
randa:

8

renda: *Jam enim eo vulnera filium meum peritum reor:* Quid enim alia in infirme illa erat, praesertim accedente itineris faciendo commotione sperandum sit? Obstare quidem videatur, quod ipsa Zippora jam ante circumcisioinem filii primogeniti, non ita xgre admisserit, nec propter illam ut hinc commota fuerit; Nondum enim illa tum noverat id cum aliquo periculo fieri, & potuit accidere, ut ex illa primogenitus graves dolores passus & in vita periculum adductus fuerit, unde jam experientia coacta & sciens quanti periculi sit haec res, in circumcisioinem secundum geniti noluit consentire; neque consensisset, nisi per hunc sanguinem filii vitam Mosis redimere coacta fuisset.

VI.

Cur autem ita dixerit Zippora Marito, non una est omnium sententia: Sunt, qui haec verba, *Sponsus sanguinum es mihi*, putant fluxisse ex tenerrimo amore Zippore erga maritum, quibus ipsa testata fuerit, quanto per dilegit ipsum, ut sanguini filii tenelli non pepercera, quo ipsum Mosen suum servaret. Verba Sponsus sanguinum es mihi sunt Zippore non irata & indignantis, sed devote & gratulantis, non ad filium sed ad maritum directa, inquit B. D. Pfeifferus in Dub. vex. Cent. I. loco 83. Quasi diceret: *En hoc preputium, quo ceu arrha quadam satius pretiosa te denuo sponsum & maritum acquirro, adeoq; nunc demum verè tibi desponsata sum, etiam pretioso sanguine filii mei ob divinum fatus effuso quo tibi vitam & te mihi asserui.* Id. ibid. Eodem sensu & Targum haec verba expresxit. Per sanguinem circumcisionis istum, datus est Sponsus nobis, quæ Spencerus de Leg. Hebr. Lib. I. c. 4. Sect. 5. ita explicat: *Ritu illo Deo & Ecclesiæ nostræ quasi conjugii federe copulatus es,* Addens, *Eos iraq; fugit veritas, qui sentiunt Zipporam è fervore quadam muliebri, & ut bilem suam in maritum evomeret ea verba protulisse, quasi Moses in causa fuisse, quod ritu tam sanguineo tenerum filiorum sui corpus mutilare cogeretur.* Glassio tamen Rhet. Sacr. Tract. I. c. 12. p. m. 879. haec non placet: *Non est, inquit, verisimile, Zipporam mulierem exteram de Circumcisione (cujus dilationis ipsa dubio procul causa existit) tam præclarè sensisse & fuisse locutam.* Alii vicissim verba haec Zippore esse indignantis & iracundæ, quasi illa projiciens in maximo extu animi abscessum preputium ad pedes Mosis, dicere voluerit: *Tu es causa, cur mihi fundendus fuit sanguis filii mei, merito indignor & te voco Sponsum Sanguinum.* Sic Rivetus l. c. provocans ad Rabba-

RHUM.

9

num. Sic Joh. Columbus Jesuita & Professor Lugdunensis Comm. in h. l. p. m. 237. *Cum irâ astuantis hæc verba sint, omnino arbitror inferre contumeliam Viro, quam dixi.* Sic Vesperæ Groningianæ. *Ejus actio tum verba, dicitur ibidem p. 15. indignantis atq; exprobrantis spe ciem præse ferunt:* *At indignatio & exprobratio cadunt in Mosen:* *Indignatur autem & exprobrat, vel quod filii circumcisionem neglexerat, vel quod eam colebat religionem, quam qui profitantur, ita vel in aratem teneram & innocentem seviendum est,* & hæc animo obversans indigna bunda pueri præputium ad Mariti pedes proiecit, quasi diceret: *En habe tibi filii præputium, quod tua Religio juxta sanguinis sitibunda postulat,* & in hæc erumpit verba: *Sponsus sanguinum mihi es: Sponsus es quidem, sed Sponsus sanguine redimendus.* Non aliter Episcopius Instit. lib. II. c. 10. p. m. 43. Et Joh. Clericus Comm. in h. l. p. m. 21. & seqv. Et ex Nostratis B. D. Chyträus in h. l. *Mulier, inquit, metuens simul & mariti & filiæ exitum, circumcidit filium & præputium ad pedes Moysi ab jicit.* *Eremens itaq; & irata, relicto Marito Moysi, in patriam ad parentes redire insituit.* Non aliter Lucas Ofiander Comm. in h. l. & Rungius, *Consternatione, ait Comm. in h. l. atq; irâ incitata præputium abiicit ad pedes Moysi, miseram suam conditionem deplorans.* *Vox Sponsus sanguinum mihi es, non est blandientis filio, ut Rabbini fingunt, circumcisum olim sponsum appellari solitum fuisse, sed est exprobrantis marito infelicem conditionem.* Similiter Deylingius l.c. *Zippora, inquit, è fervore quodam muliebri, ut iram ex filii vulnere doloroso conceptam, in mari tum effunderet, hæc verba protulisse rectè existimatur.*

VII.

Quia vero prioris sententia Autores, videntur ex amabili & gratio so Nomine Sponsi, posterioris autem ex odioso Epitheto *Sangvinum se ve sangvinarii* colligere de affectu Zipporæ, hinc eadem diligentius sunt lustranda, quò pateat, quibus fundamentis hæc illave sit superstructa. Vocem σύζυγον quod attinet, in genere ex Rad. σύζυγος in Hithpael usita ta, Affinem notat, sive talem per quem due cognationes & familias, qua diverse inter se sunt, per nuptias copulantur & altera ad alterius cognationis fines appropinquat, ut ait D. Joh. Avenarius in Dictionario Hebreo. Comprehendit verò omnes gradus affinitatis, ut est Socrus & socrus, gener & fratres sponsi seu uxoris. Idem vult Græcos τὸν expressisse per γ. ut γειτνίαω, γειτνίασω propinquus vel affinis sum, γειτνώ affinis

B



affinis propinquus cognatione, yestula & yestulæ vicinitas, propinquitas cognatio, cui respondet germanicum gatten/ zusammen gatten. Sic usurpatur hæc vox Gen. XXXIV. 9. ubi Sichem ad filios Jacobi, cum Dinam sibi peteret dari in uxorem, ait וְהַתִּזְבֹּה אֶת־נָךְ In affinitatem recipite nos, filias vestras dabitis nobis. vid. Jos. XXIII. 12. Efr. IX. v. antepen. 1. Sam. XVIII. v. 18. Inde ergo respectu generi יָמֵן dicitur Sacer item frater Sponsæ Exod. XVIII. 1. Jud. IV. 3. nec non Socrus Deut. XXVII. 4. Respectu Saceri vel Socrus gener sic dicitur 1 Sam. XVIII. 18. Jud. XV. 6. Gen. XIX. 14. sed & respectu Sponsæ ita vocatur desponsatus. Jer. VII v. ult. XVI. 9. Ef. LXII. 5. 1. Sam. XXII. 4. Sicut & & inde nuptiarum dies חַנְכָה Cantic. c. III. v. ult. vocatur. Conf. Buxtorf. Lexico Hebr. & Concord. & Edw. Leigh. Crit. Sacr. p. m. 88. Edit. Lond. Evidem putant aliqui nomen hoc non dari Marito, nisi Sponsaliorum die. Et Elias quidem in Thisbi, cit. Christoph. Cartwright in Addit. ad Electa Targum. Rabb. in Exod. p. m. 468. vult durante duntaxat nuptiali convivio per septem dies יָמֵן Sponsum & כָּלָה sponsam vocari, postea autem non vocari eum יָמֵן nec illam כָּלָה sponsi & Sponsæ parentibus. Sed exempla adducta contrarium testantur, quod etiam tum ab affinibus, Socero & ipsa Uxore nomen hoc postea, cum jam in matrimonio viverent desponsati, illis datum fuerit; Sicut enim vinculum per desponsationem factum, irruptum manet per totum tempus vite & cohabitationis; ita & nomen יָמֵן, cum alias Hebrai & alia nomina habeant, quibus Sponsum a Viro seu Marito distinguant. Accedit, quod ex sententia R. Levi, quem Drusius laudat ad Diffic. Loca Exod. c. II. & R. David Kimchi quem citat Fagius in h.l. in libro Radicum, vox יָמֵן innovationem quamvis cum letitia note, qui propterea ait: Quemadmodum innovatur letitia in die nuptiarum, sic etiam innovatur in die circumcisionis. Atque sic non præcisè ad Maritum sed potius ad Filium circumcisionis hanc appellationem pertinere velint: Non ergo est, quod ex appellatione יָמֵן certò colligant illi, Zipporam amabili & dulci nomine Maritum compellasse & Sponsalia pristina, nova quasi data arrha repetere, voluisse.

VIII.

Circaepithecon largitur illis, qui existimant odiosam hanc esse phrasim, ut ait Rivetus, & in Scriptura Sacra רִישׁ virum sanguinarium. Psalm. V. 7. 2. Sam. XXI. 1. עִיר רִימָה Civitatem sanguis.

11

sanguinum Ezech. XXII. 2. notare, & in plurali numero in significatio-
ne cedis & homicidii vel menstrua feminarum pollutionis, ad designan-
dum vel illam sanguinis effusionem vel illud sanguinis profluvium, quo
reatus vel typicus vel realis contrahebatur, ut loquuntur Collocutores
Gröningiani p. 18. Non tamen inde sequitur, **רְמִים וְחַרְן** רְמִים
ratio Sponsum Sangvinarium denotare. Constat enim vocem סָרֵב diversimode accipi. Accipitur enim simpliciter pro *sanguine* Exod. VII. 21.
Esa. IX. 4, in specie *sanguine* *menstruo* Lev. XX. 18. & pro eo quod
sanguinem *colore* referit Joel. II. 31. Gcn. XLIX. 11. quasi sit ex
rufus. Inde per hanc vocem maximè in plurali *homicidia* & *cedes*, in
quibus sanguis effunditur, indicantur, ut Gen. IV. 10. Deut. XIX. 12.
Psal. IX. 13. Hos. I. 4. IV. 2. Item *reatus ac pana sanguinis injuste*
effusi Levit. XX. 9. Deut. IX. 10. XXI. 8. 9. 2. Reg. XXIV. 6. per
metonymiam effecti; Item graviora *qualibet peccata* per syncedochen
speciei Psal. LI. 6. Esa. I. 15. Significat etiam per metaphoram *mor-
tem spiritualem*. Ezech. III. 18. XXXIII. 8. Et tandem סָרֵב dicitur
de hominibus *sanguinis* effundendi *cupido* ut in Ps. V. 7. 2. Sam.
XXI. 1. Esa. XXXIII. 15. Prov. I. 10. vid. Glassi, in Rh. S. p. m 729.
855. 871. 919. 925. Unde ergo probabunt illi hoc ultimo sensu &
hic Mosen à Zipporā dictum *Virum sangvinarium* aut ad sanguinem ef-
fundendum primum. Quò minus vocem hanc hac significatione in-
telligamus, ipsa conditio, qua Mosen tunc fuisse in periculo mortis
constat, refragatur, utpote quem, morti proximum Crudelem aut San-
gvinarium appellasse uxorem minimè verisimile. Neque quisquam
Hebreorum dixit **רְמִים וְחַרְן** Sponsum Sangvinarium denotare vel
crudelem, quem potius misericordia dignum appellaveris. Unde R.
Abarbenel explicat **רְמִים וְחַרְן** סָרֵב Sponsum
mortuum & qui ex vita discedit. Sic B. Frichmuth Disp. de Cir-
cumc. Zipporæ Cap. III. §. 6. provocans ad Can. B. Glassii: *Quod Re-
gimen Hebreorum ratione usus & significationis non sit uniforme sed va-
rium, quippe quod non tantum Causam efficientem sed & materialem, ef-
fectum, subiectum recipiens &c. notet, pro circumstantia textus, quod* laudatus Philologus variis exemplis declaravit Lib. III. Gram. S.
tract. 1. canone 30. Adducit & hanc in rem Aben-Ezram, qui etsi scri-
bat in in h.l. וְתַעֲמֵד רְמִים כִּי אֲשֶׁר רְמִים אַתָּה לְיִצְחָק בְּעֹבֶרֶךְ. *Sensus vocis est: Tu vir sanguinis es mihi, quia*
B. 2. *propter*



propter te (sc. ad filium dirigens, juxta eundem, sermonem) *maritus meus*: Non tamen diffiteri potest *רַמִּים* pro circumstantia *tex-tus diversimodè esse explicandum*: Unde sic commentatur *רַמִּים*

בלשון קרש על שנו עניינים הרואדר שפכיתו רטיסט כמו
אש רטיסט אהן ל' והשנ' ל' רבים מראת מכם כמו
רומיין ח'ו: *Sangvis in lingua sancta geminam habet significatio-nem, primum cœdit, sicut dicitur (1. Sam. XXX. 1.) Vir sanguinis mihi es: Deinde ut simpliciter sanguinem notet, ut cum dicitur (Ezech XVI. 16.) in Sanguine tuo vives. Sicut & idem Aben Ezra, verba illa post illa: Et desistit ab illo, posita: Tunc dixit illa: Spon-sus sanguinum propter Circumcisiones ita explicat: Cum videt Mosen morbo liberatum Eum non appellat. שהנ' מען ריטם ח'ן קראתת ח'ן ut occisionem-notat sed ut sponsus sanguine circumcisionis conpersum.*

IX.

Non desunt tamen qui geminum affectum Zippora hic à Scriptore Sacro expressum esse volunt, & Indignationis seu Iracundiae & Læticiæ s. Gratulandi: Illum in priori, huac in posteriori sententia R. Salomon Jarchi quidem ad filium utrumque referens illud כי חתן וריטם ח'ן ad filium animo concitatior protulisse q. d. eu. es. causa. cur-sponsus maritus meus sit occidens: Hoc vero: חתן וריטם למלחת sponsus sanguinum propter circumcisionem ad Mosen dictum esse, quasi Zippora jam intelligens, propter dilatam circumcisionem fuisse interfici-endum (ab Angelo, nempe, uti Rasi hic nugatur, qui speciem serpantis induerat & deglutiuerat ipsum à pedibus usque ad femora seu membrum virile Conf. Comm. R. Salom. Jarchi latine versus ab Excell. Dn. Joh. Frid. Breithaupto. & Gothæ A. 1710, edit. p. m. 425. in Notis). Hoc sensu: *Non tu quidem sponsus sanguinum es, quod proptev-re occisus vel occidens sit vir meus.* Talis tamen es propter sanguinem circumcisionis R. Aben Ezra modò citatus eodem serè modo: *Non tu quidem sponsus sanguinum es, quod propter te occisus sit vir meus;* veruntamen חתן מהבוס ברם ח'ילה *sponsus voluntans te in sanguine circumcisionis.* Cum hoc consentit Isaacus Aramaapud Simeon de Muis Var. Sacr. Tom. II. Oper. in h. l. p. m. 39. qui ita habet: *Cum vidisset Sephora in periculo esse maritum, filio, dixit:* בכור נולות.

Natus es in signum domi meæ sanguinum & in malum meum. Verum eadem cum animadvertisset desisse periculum & dolorem (subito mutata sententia) ait: **שנהפכו חותם רטיט טולחן** quasi vellet dicere **האלו לזרמי בירת טולחן טלחון** **Conversi sunt illi sanguines in sanguines fœderis Circumcisionis & leticie,** Similiter & R. David Kimchi in libro Radicum: Mysius quidem utrumque refert ad Mosen, ita tamen ut sentiat, aliter locutam esse Zipporam postea ac antea, quod colligit ex particula **לְ** priori effato addita, quam vult idem notare quod **בְּעֵבֶרְיָה** quasi initio dubitaverit Zippora, quæ esset mali, quod acciderat marito, causa, num ipsa an vero filius h.s. **Num forte, non Mōs, sponsus sanguinem tu i.e. mortali morbo corruptus, propter me.** Cum vero videret Mosen melius se habere, cognoverit, non aliam fuisse morbi causam, quām ipse propter circumcisioñem filii dilatam, & hinc dixisse, Mosen, **Sponsum Sanguinem propter circumcisionem** Verūm hæc non placent Collocutoribus Gröningianis, **Hac ingentiose satie,** verba sunt corundem p. 15. an verè non ita certum. Nebis aliter videtur. Nihil est in textu, ex quo conjicias Sephoram vel minimum dubitasse, num ipsa fuisset mortis Mōsi intentata causa & occasio. **לְ** ponit pro **בְּעֵבֶרְיָה** durum est & insolitum, & deorsum hujus oculi, qua datio **אֲנִי** locum tenet, quæd significat mihi, forte nunquam propter me. Ipsi tamen verba posteriora, *animo sedate* repetita fuisse putant, quod cognovisset peracta circumcisione Mosen fuisse in causa, cur manus suæ fuerint sanguine filii cruentandas.

X.

Omnium simplicissimè Verba hæc Zippore ad Mosen כִּי חַזֵּן דְּמִים אֲתָה **לְ** ita accipiuntur, non quasi aut latabunda sive gratalabunda, aut iracunda sive indignabunda, hæc dixerit, sed potius quod dolore & compassione super periculo mortis & doloribus filii ex circumcisione commota, hæc protulerit, & testari voluerit Mōsi, quantum sibi debet ipse, q. d. *Sanguine filii te redimere cogor, alias attul fuisset de vita tua.* Sic P. Fagiusr hæc ipsa verba interpretatur, it. Vatablus, Alphonsus Toftatus, Tom. II. Oper. Part. I. p. 48. Junius & Tremellius in Not. Non sunt verba Matri blandientis filio in doloribus,

ne*i*ndignans aduersus Mo^{sen}, ut quidam voluerunt, sed gratulantis
sibi de marito liberato q. d Sponsus es quem sanguine filii mei circumcisisti
et anquam dote mihi denus acquirio & a morte redimo alioqui peritum,
scribit in h. l. Corn. Jansenius Episc. Irenensis & Lovan. Theologus
Comm. in h. l. Atque hanc communem sententiam docet esse Rivetus.
Sicque hujus commentatis idem est sensus ac sequentis: *Tunc dixit illa:*
חַתָּן רַמִּים לְמֹלֶת Nam posterius declarat prius, & rationem adducit, quare ita Mo^{sen} compellaverit: Neque adeo evidens, num haec sint
Zipporae an vero Scriptoris Sacri, qui, ut alijs saepe fit, causam reddit
hujus appellationis, quâ Zippora Mo^{sen} Maritum salutavit. *Sunt hec*
verba Mosis, annotavit Junius & Tremell. quibus declarat uxorem se
Sponsum sanguinum vocasse, quia filium circumcidì oportebat, quod Mi-
dianitidi de voluntate Dei non satis instruta ingratum erat. H. I. Mihi
simplicius multo videtur scribit Christoph. Carthwright Elect. Targ.
Rabb. f. Annot. in Exod. in h. l. ut verba ista *חַתָּן רַמִּים לְמֹלֶת* utroq; loco
eundem sensum habeant, ac posteriori, & illud *לְמֹלֶת* additum sit explica-
tionis gratia, quò nempe clariss intelligatur, quamobrem seu Mo^{sen} seu
puerum Sponsum seu generum sanguinum appellari. Rivetus interim
urget vocem *לְמֹלֶת* quasi non solum Mo^{sen} circumcisionem filii, per
quam redemerit ipsius vitam, exprobarit, sed & Deo ipsi voluerit obstre-
pere, propter circumcidiones, qui ceremoniam istam instituerit & Abra-
hami posteris demandarit. Verum, quomodo ex hoc loco tale quid
colligi possit, non adeo, ut ipse putat, patet. Variè de hac voce quare
in plurali dicatur *לְמֹלֶת* sentiunt Commentatores. Judæi vulgo &
inter eos R. Bechai Sephoram in numero multititudinis dixisse
quia circumcision siebat apud Judæos per *מִילָה וּפְרִעָה* per amputatio-
nem sc. preputii & denudationem sc. glandis qf. duas es-
sent circumcidiones. Verum unde probabunt à Deo demandatam alteram
circumciditionem sc. denudationem, & quod illo tempore sic obti-
nuerit in circumcisione ut hodie. Vid. Frischm. Disput. §. 8. Alii pu-
tant hisce verbis respici ad geminam circumcidendi rationem, Ismaeliti-
cam videlicet & Isaaci posteriorum seu Ebraicam, quoruna infantum hi
in tenella ætate die præcisè octavo, illi anno decimo tertio etatis cir-
cumcidabantur, quasi Zippora de his litigari cum Mo^{sen}, num hac vel
illa ratione esset circumcidendus. Sed quomodo evincere possunt, il-
lam

75

Iam diversitatem circumcidendi infantes jam illa etate inter Abrahamidas & Ismaelitas in usu fuisse, ut hodie illa apud Turcas & Mohamedanos conspicitur: Et hanc fuisse rixarum materiam inter Maritum & Uxorem, unde constat? B. D. Seb. Schmidius putat per pluralem recipi tum ad circumcisionem externam corporalem, tum ad internam spiritualem, de qua alias Scriptura S. in primis Paulus Rom. II. 29. Hec, si verba haec referantur ad divinum Scriptorem, admitteremus. Simplicius tamen & hic cum Frischmuthio enallage numeri statuitur, cum neque Syrus neque Arabs neque noster B. Lutherus pluralis numeri in suis translationibus habuerint rationem. *Dixit למלות ut dixerat רם numero quidem multitudinis, sensu singulari pro lingua inde, verba sunt Collocutorum in vesp. Gröning. p. 16.*

XI.

Quod Zippora hic dicit de Mose, hoc Ecclesia dicere potest de Christo. Vere enim hic sua sponsa מתח רמי fuit sponsus sanguinum: Non solum in sua circumcisione, quam & ipse suscepit Luc. II. 21, sed & maximè in sua passione & morte, in qua sanguinem suum effudit pro nobis in Redemptionis pretium, talis fuit. Neq; enim si ne causa hanc phrasin Zippore ad Mosen consignavit ipse Moses, de quo Salvator ait: *Moses scripsit de me Joh. V. 46.* Et notanter sancte phrasin hanc repetit ipse non solum ex ore Zippore, sed & causam appellationis addens & explicans, quare dixerit ipsa, Sponsus sanguinum, quasi indice digito monstrare voluerit, quod in hisce latuerit mysterium, non obiter pensandum. Si enim Caiphas svadens mortem Christi in Bulevereio Pharisaeorum, aliud dicere voluit, aliud ex Dei consilio significavit: *Expedire ut unus pro conservatione populi moriatur. Joh. XI. 50. 51. XVIII. 14.* Ita ut gratia Spiritus S. usque in ore illius ad praedicandum futurum, tametsi pollutum ejus (Caiphæ) cor non attigerit, ecce ait Ambrosius Serm. XV. in Psal. CXVIII. Quid impedit si dicatur & Zippora lingvam sic direxisse Sp. S. ut futurum aliquod mysterium insinuarerit? *Agit Spiritus Domini & per bonos & per malos, & per scientes & nescientes, quod agendum novit & statuit,* inquit Augustinus lib. Qq. super Judicum qv. 49. Vid. eundem lib. 2. ad Simplic. qv. 1. & lib. IV. Trinit. c. 17. lib XII. de Gen. ad lit. c. 22. & Chrysost. Homil. XXI. in Gen. Huc pertinet & exemplum Bileam gentilium

gentilium



gentilis Prophetæ Num. XXIII. 5. *Quid Bileamo impurius & sceleratus,*
& tamen ipius lingua ad benedictiones Deus sus est? Quid Caipha
sceleratus? & tamen varicinatus est, & gratia linguam quidem ipsius,
sed non ita mentem tetigit. Quod si quid etiam, quod magis mirandum
sit, intelligere cupis, per corvum h. e. immundam avem calipetam illam
Eliam pascet. Quod circa dubites quin per flagitiosos quosdam sacer-
dotes divina & natura sublimiora charismata tribuantur, scribit Isido-
rus Pelusiota Hennio Comiti Epistol. lib. II. epist. 37. p m 137. Nullum
est dubium, quod Moses in multis typum gesserit Christi. Etsi
enim officium Mosis diligenter distingendum sit, ab officio Christi
tanquam Melioris Paeti Mediatoris Ebr. VI. 23. IX. 15. Lex enim est
per Mosen data, gratia & veritas per Jesum Christum praesta est Joh. I.
17. Moses non fuit Mediator Redemptionis, verum Legis divinae Re-
ceptionis & Traditionis, quando illam à Deo acceptam populo tradidit,
Internuncius seu Interpres tūm Dei ad populum tūm bujus apud illum.
Gal III 19. Act. VII. 38. Christus non solum legem accepit, sed & im-
plevit. Ipse Tabulas contractas (quo facto lex à nobis in corrupta natu-
ra ostenditur violata Exod. XXXII. 19.) reparavit & restituit. Legemq;
non lapideis verum carneis cordis fidelium tabulis inscripsit juxta promis-
sionem Jer. XXXI. 33. Nihilominus, sicut Moses, simul ac natus favi Pharaonis furoribus expositus & ad necem quaesitus, Dei providentia salvus
& incolmis evadit. Exod. II. 10. Ita Christus sanguinolentas manus
Herodis in infancia effugit Matth. II. 14. Moses erat opilio pascens
gregem Jethronis sacerdoti sui Exod. III. 1. De illius conditione, gestis
& factis inde ad quadragesimum annum aetatis, nihil quicquam memo-
ratur. Talis erat Christus, Pastor oviculas Patris sui perditas quaesitum
missus Matth. XV. 24. de cuius vita privata nihilo plus ac de Mosis, us-
que ad trigesimum annum narratur. Uterque à Deo missus. Moses
ad eximendum è servitute Pharaonis Ægyptiaca populum, Christus ad
liberandum Israelem Dei è potestate Satanæ, à peccato atque condemna-
tione, servitute atque onere longè gravissimo. Ille ad ducendum popu-
lum Cananæam versus; Hic ad introducendum Israëlem Dei in
Cœlum. Ille non nisi ad terræ promissæ fines, hic in possessionem
ipsius cœlestis Canaan. Moses Dei iussu Pascha instituit & sacrificia, im-
molavit pecudes, & sanguine agni conspersit ædes Israëlitarum, cuius
bene-

beneficio liberabantur ab Angelo percussore. Exod. XII. Christus vero se ipsum immolavit & per alpersonem proprii sanguinis ab æterna nos liberavit morte. Moses serpentem erexit in deserto, Christus ipse sublatus in crucem Joh. III. 14. Moses intercedebat pro Israele, manibus ad vesperam usque super baculo expansis. Exod. XVIII. 2. Christus expansis in cruce manibus pro nobis oravit & Amalekitas infernales profligavit: Dei quoque iram a nobis, ut Moses Num. XIV. 19. 20. avertit. Moses divinam legem promulgatus, jejunavit quadraginta dies & noctes in Monte solus, Deut. IX. 9. Christus Evangelium prædicatus totidē diebus & noctibus jejunavit in deserto Matth. IV. 2. Moses in deserto pānem & carnem impertravit ad pascenda multa hominum millia Exod. XVI. 6. Idem fecit Christus Joh. VI. 10. Marc. VIII. 1-9. & majora miracula fecit quam Moses, ut docet Historia Evangelica. Moses sprevit honorem Regium & elegit malis vexari cum populo Dei Hebr. XI. 24. 25. Christus posthabita cœlesti gloria ad servandos nos se se demisit imò ipse nostras infirmitates portavit ac dolores. Eſ. LIII. 4 Moses aquas amaras, injecto, quod à Domino ipsi monstratum erat, ligno, edulcavit aquas in Mara Exod. XV. 23. Christus afflictiones nostras ligno crucis, dulces & salutares reddidit. Hebr. XI. 10. Moses de successore fuit sollicitus & constituit Judices Num. XXVII. 18. Ita Christus reliquit suæ Ecclesiæ vicarium nimirum Sp. S. Joh. XVI. 13. & Apostolis & Ministris suis ministerium & officium Spiritus demandavit ante Ascensionem Joh. XX. 21. Eph. IV. 11. Cœterum fuit & Salvator, ut Moses valde afflictus, Mansuetus tamen Num. XII. 3. Matth. XI. 9. *Fidelis in domo Dei non ut Moses, qui servus erat, sed ut filius & Dominus Dominus.* Ebr. III. 5. 6. Et sicut Moses ad subeundam mortem in Abarim promptissimus Deut. XXXIII. 48 XXXIV. 5. Ita & Christus ad Golgatham in prompto obsequio erga Patrem Pf. XL. 19. Phil. II. 8 contendit. Denique ut Mosis corpus gloriosè resuscitatum viderunt discipuli in Monte Thabor Matth. XVII. 3. Ita Christus se in glorificato corpore post Resurrectionem ostendit Discipulis & ascendit ad dextram Patris, ingressus in gloriam Luc. XXIV. 26. Sic itaque Moses in hisce & aliis de quibus vid. Thomas Tailorius Celeb. Anglus in Christo Revelato Cap. VI. Edit. Genev. p. 43. & seqv. Christi typum nobis proponit. Quare propter hasce collationes ut Prophetæ Mosi similis fuit promissus. Sic enim Deus ad Mosen: *Prophetam suscitabis eis e medio fratrum ipsorum sicut es.* Deut. XVIII. 18.

Quemadmodum ergo Moses in hisce Christum præfiguravit, ita & connubium cum Midianiti de alienigena non fuit sine mysterio. Sicut enim Josepho Asnath filia Potipheræ Sacerdotis Ægypti fuit desponsata Genes. XL. 45. Simson Philistæam ex Thimnath sibi junxit. Jud. XIV. 1. Boas Ruth Moabitidem Ruth. IV. 11. 12 duxit in Uxorem, ex qua Obed Davidis Avus prognatus, sicut & ipse Boas Salmæ ex Rahab Hierichuntis filius erat. Ios. VI. 22. Matth. I. 5. David juxta Ahinoam Jesrahelitidem in uxorem habuit Abigail Carmelitidem I. Sam. XXX. 5. XXV. 9. in præludium & typum quod Christus Ecclesiam ex gentibus sibi esset desponsaturus. Sic enim Ambrosius Epist. 35. ad Iren. Davidis Uxorem Ahinoam synagogam Judaicam, Abigail vero Ecclesiam gentilium, quæ amissio viro, cui antea juncta fuerat, ad Christum transiit, præfigurasse docet. Ita & Moses conjugium cum Midianiti mysterio non vacat, quodq; Apostolus de Abraham filiis duobus ex Sacra libera & Agar serva pronunciat, ταῦτα ἐστιν ἀληθῆ γενεὰ Gal. IV. 24. Idem & hic videtur dicendum. Agnoscunt & illud in Circumcisione, quam Zippora in filio ex hoc matrimonio suscepito peragere divinitus coacta fuit, Doctores Ecclesiæ Antiquæ. Non adducam Gregorii Nysseni accommodationem nimis contortam ac longius à scopo textus remotam, quæ dicit, Moses junctum alienigenæ denotare Doctorem Christianum, deditum Philosophiæ, quæ ipsi vera quidem gignit dogmata, quæ tamen nisi circumcidantur captivando rationem sub obsequium fidei in J. C. 2. Cor. X. ipsi afferunt mortem. de vita Mosis Tom. I. oper. p. m. 193. sed illos solum laudabo, qui spiritualem circumcisionem, quæ per Ecclesiam peragit hinc præfiguratam volunt. Sic enim Cyrus Alex. Lib. IV. Comm. in Ioh. Tom. IV. Oper. p. m. 434. Dissolvi mortem & corruptionem destrui per spiritualem circumcisionem facile reperimus. si librum Exodi studiosius scrutemur -- Moses occidere & interficere querit dictus Angelus, & agre discedit ab eo indignatus ob pueri circumcisionem, quam Sephora calculo cum peregisset, munus suum impleuisse ait: Sciri enim sanguis &c. Sed nisi ratio quedam mystica in his lateat, quem sensum obsecro capiet, quod infantis circumcisione Moses Sacrorum interpres servatur & crudelis exterminator exhibuit cruento compellitur ac retro quodammodo vestigia flebit? Itaque non satis fuit ad salutem Beato Moses, siue circumcisionis bonum vel gloria-

tio. Sic enim potius dicendum reor: Non enim mortem que omnes passim
 bonos & malos invadit, circumcisionis legalis vis destruit: Sed vel nolen-
 tem ac invabiem actum repellit & everit, novi populi, hoc est eorum qui in
 Christum crediderunt spiritualis circumcisione, que per Sephoram i.e. Eccle-
 siam r. etissime peragitur H. l. Augustinus lib. 2. Qq. super Exod. qv.
 XI. Tom. V. oper. p. m. 129. Secutus sanguis, scribit, circumcisionis
 infantis: Non enim ait: Recepit ab eo propter quod circuncidit infan-
 tem: sed quia stetit sanguis circumcisionis: Non quia currexit, sed quia
 stetit, magno nisi fallor Sacramento. Quale sacramentum intendat Au-
 gustinus non indicat. Procul dubio vero & ille circumcisionem spiri-
 tualem filiorum Novi fœderis habuit in animo. Nisi malis dicere,
 eundem fecisse cum Epiphanio, qui ex verbis Græci textūs ἐπὶ τῷ αἵματι
 τῆς μεγάρου Christi circumcisionem, qui sua circumcisione eandem
 abrogavit, prædictam voluit, cujus verba sunt hæc: Sephora dicebat
 ὅτι ἐπὶ τῷ αἵματι τῆς μεγάρου τὸ πατέρα μη Non dixit: Circumcidisti
 filium. Negat enim id agebat Angelus ut circumcisione fieret, negat sanguini
 metu recepit: Κλαπόποντος χρέως: Sed ut eum in tantum, à quo
 circumcisionis crux erat, in memoriam revocaret. Quare
 mox, ut illud audiret ac prestitum, e medio se subduxit. At quādam ille
 futurus esset infans accipe. Is enim erat de quo Prophetæ locutus est.
 Esa. IX. v. 1. Quoniam parvulus natus est nobis, & filius
 datus est nobis --- In quo Circumcisionis crux fierit ut in Evan-
 gelio ipse testatur Job. XII. 23. Nunc pervenit gloria Dei, ut Circumcisio-
 nem carnis præteruisse jam doceret & ad certum tempus figuræ servuisse,
 carnis vero præputium spirituali ac præstantiori circumcisione præditum
 contemplari Christum ejus, re ipsa compotem fieri. Ita Epiph. adv.
 Hæres. lib. I. Tom. II. hær. 30. quæ est Ebionit. §. XXVII p. m. 153.
 Sic loquuntur PP. qui græcam secuti sunt translationem, quæ hic rece-
 dit à textu Athentico, & mysterium, quod illi hic quæsivere, non ita
 clare ut ille expressit. Quid judicassent si textum originalem consului-
 issent, in quo non hoc solum, quod Christus sublatâ corporali circumci-
 sione per spiritualem servaturus esset Ecclesiæ N. T. filios; Sed & quod
 ipse futurus esset Sponsus sanguinum, & sanguine suo se defponaturus
 esset Ecclesiæ, innuitur. Videtur hoc alii ex Patribus, qui ampliorem
 sensum juxta veritatem Hebraicam secuti sunt. Sic enim Commen-
 tarius in Apocalypsin, qui inter Opera, quæ Ambrosio adscribuntur.

Tom. V. Oper. Ejusdem exstat in Cap. VI. p. m. 405. Moses in hoc
loco eos, qui ex gentibus crediderunt, designat. Initio namque fidei
Apostoli & prædicatores considerantes imbecillitatem gentium fidem
Christi suscipientium, nolebant illis auctoriora Christi præcepta primùm
tradere --- Commixtus est igitur Dominus Moysi mortem --- Tulus ergo Se-
phora acutissimam petram & circumcidit carnem --- quia Ecclesia cernens
filios suos nullo modo posse perfectam consequi salutem, nisi omnia deside-
ria carnalia ab eorum corporibus extirparet, tulus auctoriora præcepta
Evangelii & amputavit a corporibus filiorum suorum omnium nutrimenta
vitiorum --- Sephora post circumcisionem pedes filii sui retigit, quia ille
circumcisionem salutiferam percipit, qui in bono quod caput, perseverat
usq. ad finem. Postquam autem Sephora pedes filii sui tergit, jam non si-
lum sed sponsum vocat: Sponsus vero Ecclesia Christus est. Job. III. 29.
Quem & Sponsum sanguinum vocat, quia Christi sanguine est redemptio.
Fili ergo Ecclesie circumcisionem vitiorum & in bonis operibus consum-
mationem, jam non filii sed sponsi vocantur, quia illi conjuncti sunt in cœ-
lis per copulationem membrorum, qui Sponsus Ecclesia in terra vocatur &
est H. I. Rupertus de Trinitate & operibus ejus in Exodum Comm.
lib. I. cap. 20. Mysterio hanc Historiam non vacare, ait: Alienigena
quippe uxor Moysi Zippora, quod interpretatur pulchritudo sive placens,
alienigenam gentium significat Ecclesiam --- Ceterum & quoridie filios
suos mater Ecclesia circumcidit, circumcisione spirituali ne fides Christi
moriatur in illis, tangitq; pedes ejus, dicitq; inter circumcidendum filiis
suis, Christus passus est pro vobis, vobis relinquent exemplum ut sequamini
vestigia ejus, & his similia. Tom. I. Oper. p. m. 159. Rabbanus Maurus
pariter sic commentatur in h. I. Secundum Historiam, mater gentilis
novitatem rei admirans, ignaraprecepti, quod Abram datum est, cir-
cumcisione, ad Mosem; Sponsus sanguinum mihi es &c. Secundum my-
sterium autem Sephora typum tenet Ecclesie de gentibus, que preputium
filii sui i.e. popul gentilis, acutissimam petram, b.e. doctrinam Spiritus S. sive illa
petra, de qua dicit Apostolus: Petra erat Christus. (1. Cor. X. 4.) docet
exsolationem Veteris hominis cum actibus ejus, ut mundent se ab omni
inquinamento carnis & spiritus, perficienes sanctificationem in timore
Dei. Stat enim sanguis circumcisionis, quando corruptibile hoc induit
incorruptionem. lib. I. Comm. in Exod. cap. 8. Tom. II. Oper. p. m 91.
Quæ repetuntur in Glossa Ord. in h. I.

XIII.

Apprimè hæc omnia quadrant in Christum, Sponsum nostrum Mysticum. Placuit enim Spiritui S. conjunctionem Christi cum Ecclesia Desponsationis imagine gratissimā designare. Sic enim de eadem loquitur Messias per Hoseam : *Desponsabo Te mihi &c.* Cap. II. 19, 20. ter idem repetit ad indicandam desponsationis certitudinem, vel ut Tarnovius explicat, ut insinuat pro ratione istius temporis, *unam quamvis Trinitatis Personam hanc desponsationem procurare*, Patrem adoptando seu nuptias faciendo filio Matth. XXII. 2. filiam humanam naturam assumendo, genus humanum liberando & conjugium spirituale cum Ecclesia ineundo. Eph. V. 32. Spiritum S. docendo & ducento ad Sponsi notitiam & copulando per fidem, quam operatur, sponsam cum sponso. Quid Canticum Cantorum aliud, quam mysticam hanc desponsationem insinuat in sponsæ cum sponso colloquiis ; Sicut & epithalamium Messiae descripsit David Psal XLV. Christus in N. T. differt se vocat sponsam Matth. IX. 5. Matth. XXV. 11. Luc. XIV. 16. Et Johannes Baptista ejusdem præcursor eodem nomine Salvatorem designat, se vero amicum sponsi vocat. Joh. III. 29. Apostolus Paulus Sacramentum hoc desponsationis magnum esse pronuntiat Eph. V. 32. & de eodem loquitur 1. Cor. XI. 1. 2. Sic enim per connubium Sponsus & Sponsa conjunguntur in unam carnem Gen. II. 14. 27. Ita Christus cum Ecclesia seu toto credentium corpore conjunctus est. Eph. V. 30. 1. Cor. VI. 16. 17. ob hanc conjunctionem delectatur Sponsus in Sponsâ & vicissim. Sic Christus in Ecclesiâ Es. LXII. 2. Eph. V. 9. Et vicissim Ecclesia in Christô Ps. XVIII. 2. Cant. I. 16. Es. LXI. 10. Est inter Sponsum & Sponsam communio bonorum. Ita communia habet Ecclesia omnia cum Christo 1. Cor. III. 22. 23. 1. Cor. I. 6. Splendet Ecclesia radiis Mariti sui, & Christus sibi tribuit, quæ Sponsa fiunt adversa Act. X. 4. Sponsus & Sponsa junguntur matrimonio, ut filios procreent. Sic Christus cum Ecclesia copulatur, ut filios progignant spirituales Psal. CX. 3. ut Christi genus, quod ex Spiritu ortum trahit Luc. I. 35. in fidelibus propagetur. Unde & genus illius dilectum vocatur 1. Petr. II. 9. Vinculum hoc ut in connubio corporali Matth. XIX. 6. est indissolubile : Nec per mortem quidem solvit Rom. VIII. 39. Sicuti denique copulationem Sponsi & Sponsæ, Sponsalia prece- dunt, nuptia post tempus & aliquam conversationem cum Sponsa se- qvuntur;

qvuntur: Ita & desponsatio Christi & fidelium fit hic in Regno gratia per Verbum & Sacraenta. In Baptismo fit stipulatio i. Perr. III. 11. & ablutio Spōnsæ Tit. III. 6. Eph. V. 26. In verbo loquitur ad cor sponsæ Hos. II. 19. 20. in S. Eucharistia convivium paratur, sicut & per hæc media dat arthabonem Spiritus 2. Cor. I. 22. Eph. IV. 30. Tandem Nuptiæ seqvuntur in Regno Gloriae Apoc. XIX. 7. 8. Vid. de hisce comparationibus ex Scriptura & Comm. Veterum eleganter differentem B. D. Zeidlerum Homilia in Dom. XX. p. Trinit. inter Homil. Select. edit. hic A. 1702.

XIV.

Sed & Desponsationem hanc mysticam per sanguinem Sponsi Ihesus futuram & factam esse sacræ paginae aperte & clarissime docent. Sangvinem esse effusurum, & per eundem Ecclesiam suam sponsam redempturum, loturum & purificaturum, Goëlem nostrum ita dictum à Jobo c. XIX. 25. (quia Iesus vindicarum ex Sangvinis propinquitate & cognitione Num. XXXV. 19. Lev. XXV. 25. habet *ein Blut-Rächer*) patet ex oraculo Jacobæo: *Lavabit in vino stolam suam & in sanguine uva pallium suum*, inquit ipse de filio Juda, sive potius *Stob* ex hac stirpe prodituro Gen. XLIX. 11. quod plerique Veterum & Recentiorum Interpretum, ad ipsum Christi Corpus, quod animæ & Deitatis fuit quasi vestimentum referunt, conferentes hoc Vaticinium cum Esa. LXIII. 1. & Apoc. XIX. 3. quia in passione & morte Christus adeò copisum fudit sanguinem, ut totum corpus ejus tingeretur sanguine, quo mysticum ipsius corpus, de quo alii hoc Vaticinium accipiunt, abluetur & mundaretur Apoc. I. 6. vid. Gerhardus Comm. in h.l. & Disput. B. Par. in h.l. A. 1680. habita. Alii per stolam intelligunt carnem, per pallium Ecclesiam Christi. vid. Jansenius in h.l. Similiter per Sanginem fœdus novum firmandum & Zionem ex lacu aquis sc. consolacionis carente, liberandam, promittitur, Zach. IX. 11. hisce verbis. *Etiam tu in sanguine fœderis tui: Emisi vinclos tuos e lacu aquis carente*, vid. B. Pfeifferi Lect. Cursoria in h.l. in Dub. Vex. loco LXVIII. Clariorae sunt dicta N. T. *Filius hominis venit ut daret animam suam in Redemtionem pro multis*, inquit Christus Matth. XX. 28. *Animæ autem carnis est in sanguine*. Lev. XVII. 11. *Hic est Sanguis N. T. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Matth. XXVI. 28. *Attendite gregi, seu Ecclesias Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Acto. XX. 28. *Redempti*

Redemptus estis pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. 1. Petr. 1.
 18. Conf. 1. Petr. 1. 2. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Apocal. V.
 9. &c. Sangvis enim requirebatur primò ad Redemptionem sive Em-
 ptionem Sponsæ, quæ sub servitute erat & captivitate, unde facta est li-
 beratio, ἀπολύτωσις, quæ est interveniente pretio facta Redemptio
 per λόγον pretium Redemptionis quod pro Redimendo captivo datur
 1. Pet. 1. 18. Rom. III. 24. Eph. I. 7. Ebr. IX. 12. Πέρι ποιησίας acquisitionis
 vindicatio, tutatio respondens Hebr. לְנָא וְלִזְלָזָן Lev. XXV. 4. qua
 utitur Apost. Act. XX. 28. vid. Eph. I. 14. ἐξαγοραῖς Emptio, Re-
 demptio non simplex sed interventu pretii alicuius, ut 1. Cor. VI. 20.
 VII. 23. Apoc. V. 10. Pretium vero hoc in locis citatis expreſſe dici-
 tur fuisse Sangvis Jesu Christi. Porro requirebatur sangvis ad sponsa-
 cum Deo ἀποκατάλλαξιν reconciliationem, quæ tribuitur sanguini
 Christi Col. I. v. 20. & εἰς νοπολοντινὴ pacificationem Eph. II. 16. ad iἀ-
 σπερν propitiationem & expiationem, quæ nō in nuda & mera clementia
 consistit, sed quæ placamen vel supponit vel infert, ut Rom. III. 24. Quem
 (Christum sc.) proposuit Deus propitiatorium iἀσπερν per fidem in
 sanguine ipsius (sc. per quem facta est expiatio) Et quæ ad Remissionem
 peccatorum & debiti prestandā quoad culpam & pœnam Matth. XXVI.
 28 Eph. I. 7. necessaria erat. Deniq; requirebatur etiam sangvis ad iἀτα-
 ἔτον mundationem & ablutionem Sponsæ Eph. V. 26. 1. Cor. VI. 11.
 Apoc. I. 5. quæ quidem diserte sanguini Christi tribuitur. *Sangvis enim*
Jesu Christi Filiī Dei emundat nos ab omni peccato 1. Joh. 1. 7. Quæ omnia
 quia facta sunt per sanguinem, & satisfactio pro nobis & Justificatio &
 Sanctificatio Sangvini Christi Esa. LIII. 5. Ebr. IX. 12. & seqv. Rom. V.
 9. 10. Eph. V. 26. &c. tribuitur. Non patet sine sanguine aditus
 ad Deum, *sanguine omnia purificabuntur, nec ulli peccatorum sine san-*
guine est remissio ut docet A. Ebr. XI. 22. Hinc Sangvis Agni Paschalis in
 limine ædium angelum arcebant vastatorem Exod. XII. 7. & Israelite ad
 Deum accessuri prius sanguine Vituli sanctificabantur Exod. XXIV. 8.
 Huc spectat omnis sacrificiorum Leviticorum ordo, qui maceratione &
 effusione sanguinis ejusdemque asperzione factus legitur, quā nihil aliud
 significabatur, quā nos ob horribilem à Deo apostasiam in hunc mo-
 dum fuisse maestos, nisi interventu alterius & quidem sanctionis san-
 guinis nostro sanguini cautum fuisse Lev. XVI. 21. XVII. 11. Quia
 tamen Sangvis sacrificialis, hanc viutatem expiandi & satisfaciendi Deo
 habebat

habebat non ex vi propria & suo valore, sed virtute Antitypi, cuius anima pro anima nostra & sanguis pro sanguine nostro datus. De quibus contra Socinum & totam Socinianorum seu Neophotinianorum impiam scholam, quae sanguinem Christi esse tantum incitamentum aliquid, quo persuaderi possimus Deum serio sine interventu ullius pretii nos velle liberare, quae sunt verba Socini Part. 2. de Servat. c. 2. docet, ex professo B. D. Franz. Schola Sacrific. Feuerbornius, Grauerus, Grotius, Hoornbeck & alii videantur. Quibus meritò opponimus Confessionem universæ Ecclesiæ de Sanguine Redemptoris pro nobis effuso, quam ex testimoniis Antiquissimorum Patrum necit laudatus H. Grotius in defensione Fidei Catholicæ contra Socin. p. 145. & seqv. ex quibus hæc annotasse jam sufficiat. Sec. II. Irenæus scribit: *Neg, enim carnem & sanguinem quibus nos redemisset, verè habuisset (sc. Christus,)* Nisi Veterem Adami fictionem in se se restaurasset, quem locum Theodoreus Dial. II. c. 26. citat. Sec. III. Origenes in Epist. ad Rom. lib. 2. c. 2. Donec Iesu sanguis daretur, qui tam pretiosus fuit, ut solus pro omnium Redemptione sufficeret, necessarium fuic eos, qui instruebantur in lege, unumquemque pro se, velut ad imitationem quandam futura Redemptionis, sanguinem suum dare: Et propterea nos, pro quibus completum est pretium sanguinis Christi, non necesse habemus pro nobis ipsis pretium i. e. sanguinem circumcisiorum afferre. Cyprianus libr. ad Demetrianum. Hanc gratiam Christus imperavit, hoc munus misericordie sue tribuit, subigendo mortem trophyo Crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortaleros regeneratione cœlesti. Sec. IV. Athanasius in Pass. & Cruc. Domini Tom. I. Oper. p. m. 794. *Gestabat Christus in coccinea chlamide, speciem sanguinis --- ut pro sanguine peccatorum, suo sanguine & terram & omnes emundaret.* Ambrosius Lib. X. super Lucam in Cap. XXII. *Pretium sanguinis est pretium Domini passionis.* Ergo pretio sanguinis emitur mundus à Christo. Lib. I. de Apol. David cap. ad verba Coloss. II. *Delyvit sanguine suo atramentum Eve, delevit hereditatis obnoxie obligationem.* Chrysost. proem. in Es. Quam multæ est Deus erga nos clementia? *Sanguinem filii sui luit in pretium.* Sec. V. Augustinus in Enarr. in Ps. XCIV. *Venit Redemptor & dedit pretium, fudit sanguinem suum & emit orbem terrarum.* Queritis quid emerit? *Videte quid dederit, & invenietis quid emerit.* *Sanguis Christi pretium est.* Tani quid valet? *Quid nisi totus orbis?*

Plura

Plura his consona vid. ibid. Constat ergo ex hisce Salvatorem nostrum ut nomen Goëlis ita & Sponsi Sanguinum jure sibi vindicare.

XV.

Scilicet sicut Zippora per sanguinem Filii sui circumcisii redimebat sibi Maritum, morti, propter neglectam Circumcisionem filii, obnoxium factum, & servabat illum cum filio ab interitu; Sic & viciissim Christus suam Sponsam Ecclesiam & filios mysticos per suum proprium sanguinem non solum in Circumcisione sed & in passione & morte copiosissime effusum sibi acquisivit suam Spontam, eandemq; redemptam & sanctificatam Deo Patri sistere voluit. Quod porro patebit ex officio triplici, quô ipse in officio Redemptionis functus fuit. Venerat in mundum ut tanquam *SACERDOS* nos cum Deo reconciliaret, non per sanguinem hincorum & vitulorum sed per proprium sanguinem introitum semel in Santa, aeternâ Redempzione inventâ. Ebr. IX. 11. Et Mediator N. T futurus per aspersionem sanguinis melius loquentis quam Abelia Hebr. XII. 24. Ut tanquam *PROPHETA* effusione sanguinis sui Novum confirmaret Pactum, in quo per prædicationem sanguinæ passionis, mundarentur corda nostra ab operibus mortuis, Heb. IX. 11, Rom. III. 25, & legem amoris scriberet in cordibus nostris sanguine suo; & ut *REX* per effusionem sanguinis sui nos in plenam vindicaret libertatem Zach. IX. 9. 1. A&T. XX. 28. Verè ergo Salvator noster *דָּתָן וְתִימָם Sponsus Sanguinum*. Quare Cyrillus Homil. Ephesi in Nestorianum dicta anathema merito in illos vibrat, qui Jesum Sponsum Sanguinum nostrum factum negant. Revera, inquit, *perditionis sunt filii, & semen iniquum, qui Dominum à quo sunt empti, negant*. Empti enim sumus pretio, non quidem corruptibili, puta auro & argento, sed preiōse sanguine tanquam agni immaculati & incontaminati Christi. Quomodo fruisset autem sanguis vulgaris hominis similis nobis Orbus Redemptio?

Sed ad quid, dicat aliquis, tam copiosa fuit Effusio Sanguinis Christi? Non enim is solum sanguinem suum effudit in Circumcisione die octavo post Nativitatem Luc. II. 21, sed & in passione, in ἀγωνίᾳ illo intensissimo ad montem oliveti, in sudore sanguineo seu θρόμβοις αἷματος Luc. XXII. 14. In flagellatione sanguinolenta Marc. XV. 10. in Coronatione, in qua spinis aculeatis caput ejus vulneratum fuit. Matth. XXVII. 29. in Exuitione vestimentorum, quā vibices vulnerum recruduerunt, in transfixione manuum & pedum per clavos ferreos & tandem in apertione lateris per lanceam militis, quicquid supererat in Corde sanguinis eductum fuit. Joh. XIX. 34. Adeoque septies sanguinem effudit, ut observant Ecclesia Doctores, largissime & quidem omnem effudit. Sanguinis enim guttae in Circumcisione destillantes, primitiarum loco & cruenta passionis quasi præludium fuerunt, & in arham futuræ plenariae solutionis quasi datae fuere. Hic tingebat fascias, Sponsus sanguinum, postea totam Vestem & Stolam loturus Gen. XLIX. 11. Quæsitum hinc fuit. *Nun non unica guttula sanguinis Filii Deitorum negotium Redemptiois expedire potuisset, & quid opus fuerit, tam copioso sanguinis usque ad ultimam guttam profusivo?* Quæstionis huic anfam dederunt Homilia Verulstiorum Patrum, eorumdemq; pathetica in Cathedra Ecclesiastica de sanguine Salvatoris Orationes, quæ etiam inveniuntur in Cantico Ecclesiae nostræ: *Wo soll ich fliehen hin? Dein Blutt der edle Saft hat solche Starck und Kraft/ daß auch ein Dröpplein kleine die ganze Welt kan reine ic.* Doctores Scholastici mirè hic inter se concertant & curiosè disputant. Omnium optimè dubium hoc enodavit noster D. Balth. Meisnerus in Anthropol. Sacra contra Socin. Dec. III. sic scribens: *Phrasit ipsa, unam guttam sufficisse, Patrum est, non Scriptura. Pia est cogitatio non fundamentum fidei. Quare si que absurdâ hinc sequantur (que sc. inde elicunt Sociniani) mordicus eam non defendemus. Ex Dei verbo certum est, guttam unam non absolvisse totum meritum & sacrificium pro nobis offerendum: Alias post circumcisionem mori & pati Christus non debuisset.*

debuisset. Interim cum Persona sit infinita, dicimus hoc respectu, quavis guttulam fuisse infiniti valoris & ratione Sui sufficientem non ratione Dei, qui solus optimè novit, quantum ad plenam Satisfactionem requiratur, & cur Filium suum præcisè tot plagas nec pauciores nec plures pati voluerit. Scimus opera ejus omnia esse justa: Ergo & Fili crucifixionem, licet nobis ob infinitatem Persona videatur, unam guttulam sufficiere. Interim certum est ex Ebr. IX. 15. non una gutta, sed morte ipsa ad Satisfactionem opus fuisse, cuius causas sat graves Apostolus d. l. commemorat. H. I. Quibus consona habet Joh. Meisnerus Disp. Theol de Sangvine Christi, quam sub ejus Praesidio B. D. Reinholdus à Derschau habuit Wittebergæ A. 1661. §. 20. adducens Testim B. Lutheri in Comm. prior. Epist. Petr. quæ extat Tom. II. Jenensi germ. fol. 333. Der Schatz des Blutes Christi ist so kostlich und edel, daß es keines Menschen Sinn und Vernunft begreissen kan, also daß nur ein Tropflein von diesem unschuldigen Blut übrig genug wäre gewesen für aller Welt Sünde. Noch hat der Vater so reichlich seine Gnade über uns wollen ausschütten und sich so viel sehn lassen, daß er seinen Sohn Christum hat sein eigen Blut alles vergießen lassen und uns den Schatz ganz geschenkt. Profsu copiosa, inquit Bernhard. considerans verba Ps. CXXX. 7. apud Deum Redemptio, quia non gutta sed unda sanguinis per omnes partes corporis emanavit.

XVII.

Quemadmodum vero Zippora sibi sanguinem filii Circumcisæ applicat notanterque dicit יהָנָן רַמִּים אֶתְהָנָן Sponsus sanguinum es mibi. Sic & Ecclesia, cuius illa typum refert, sibi sanguinem Mystici sui Sponsi tribuit. Apud hanc verba illa Zipporæ, quæ diximus esse dolentis & ægrè ferentis hanc cruentam liberationem Mariti §. X. versa sunt in verba gratulantis sibi & gaudentis de tām miraculosa & amoris plenissima Redemptione, quò verba illa trahunt Doctores Ecclesiæ supra § XII. addueta. Media per quæ offertur nobis sanguis Redemptions sunt, ex parte Dei Verbum & Sacramenta, ex parte nostra fides, quæ receptaculum est pretiosi hujus Sanguinis. Proposuit enīm Deus

D 2

Deus

*Deus Christum sc. in prædicatione Verbi propitiatorum, perfidem in san-
guine ipsius, inquit A. Rom. III. 24. Inde & ministerium Ecclesiasticum,
quod Media hæc dispensat, Ministerium Reconciliationis vocatur 2 Cor.
V. 18. De Sacra Eucharistia εἰς τὸν αὐτὸν est, quod in ea carnem Christi
manducandam & bibendum sanguinem ejus fidelii corde & ore suscipi-
mus, ut ait Augustinus lib. 2. contra Advers. Legis & Prophet. c. 9.
Hoc enim ore sumitur, quod corde creditur, inquit Leo M. Serm. VI. de
Jejun. De Baptismo, et si à B. Gerhardo Tom. IV de Baptismo p. 170.
& aliis in dubium vocetur, num Sangvis Christi pars altera substantialis
Sacramenti hujus sit vocanda, an vero Verbum seu Nomen totius S. S.
Trinitatis, in quod baptizanatur; Non tamen propterea Sangvis Christi
à Baptismo excludendus, quia Virtus Sangvinis Christi etiam in Ba-
ptismo operatur: Et nos in mortem Christi baptizati dicimus Rom.
VI. 3 Conf. 1. Cor. VI.: Quare & B. Lutherus in cantilena Christ
unser Herr zum Jordan kam/ Baptismum vocat eine rothe Fluth mit
Christi Blut gefärbet, vid. Theol. Pos. B. Parentis Sect. II. Cap. IV, de
Baptismo §. 25.*

XVIII.

Cæterum sicut eruenta hæc Circumcisio filii Zipporæ, typum que-
que exhibet Circumcisionis spiritualis, que est circumcisio cordis Rom.
II. 29. ceu annotarunt Doctores Ecclesiae primitive; Ita & ipsa statum
Ecclesie nobis fistit ex sanguine Martyrum der Blut Zeugen/ sive co-
rum, qui ad sanguinem usque decerterunt Hebr. XII. 4. & sanguine
Confessionem de Christo obsignarunt. Sangvine fundata est Ecclesia,
sanguine caput, sanguine suo crevit, sanguine finis erit. Unde Ter-
tullianus sanguinem Martyrum semen Christianorum vocat in Apol.
c. 50. Quid est de toto corpore sanguinis effluxio? Nisi de tota
Ecclesia Martyrum passio. Augustin. in Psalm. CXL. *Vitis illa*
(sc. Ecclesia) tanto pullulat amplius, quanto ubiiore Mar-
tyrum sanguine rigatur, inquit Augustin. de Catech. Rud. cap.
24. Ut ita & hoc respectu Ecclesia propter hanc diuatenxu-
840

וְחַנּוּ דָמֵים
 רִיאָה filiorum suorum dicere possit ad suum Sponsum. *Sponsus sanguinum Tu mibi.* Non tamen illa in societatem Meriti aut Satisfactionis cum sanguine Christi adoptanda. Hæc enim Idolomania est Pontificia, blasphema in Deum & Redemptoris merito derogans, impiè excogitata in contumeliam sanguinis Christi. Qualis illa in Antidotario Animæ ex cit. Joh. Meifneri laud. Disp. *Tu o! rosa Martyrum Turba, offer pro me & nunc & in hora mortis merita fidelitatum, constantie & pretiosi sanguinis cum immaculati agni sanguine.* Et Carol. Scribanii impudens & blasphemum carmen, in quō in orationis fervore constitutus, incertus utrum ad vulnera Salvatoris, an ad Ubera Matris refugium capere debeat, tandem concludit:

*Rem scio: prensabo, si fas erit, Ubra dextrâ,
 Lævâ prensabo vulnera, si dabitur.
 Lac Matris miscere volo cum sanguine Nati
 Non possum antidoto nobiliore frui.*

Placent equidem Deo, quæ ex fide proveniunt opera Piorum, accepta est hæc circumcisio spiritualis, sine qua non potest quis esse verè Christianus, passiones etiam quas propter Dei gloriam sustinet, & sanguinis profusio, propter Confessionem Salvatoris; ita ut ex gratia æternis quoque præmiis hæc velit remunerari: Sed pro redimendis & salvandis aliis illa velle se acceptare nuspiam promisit Deus. *Plus accipiunt Martyres in passionis mercede, quam sustinuere in ipsa passione,* ex sententia non solum Cypriani Exhort. ad Martyr. cap. 10. sed & Apostoli dicentis: *Reor non esse condignas passiones hujus temporis futurâ gloria, quæ revelabitur in vobis.* Rom. VIII. v. 18. *Unusquisque suam mercedem accipies secundum laborem.* 1. Cor. III. 8.

30

Si benè quis egerit, aut propter nomen Dei mala perpeccus fuerit, in se-
meripo solo gloriationem habebit, non in alio. Gal. IV. 4. Accepere
justi, non dedere coronas & de fortitudine fidelium nata sunt exempla
patientie, non dona justitiae: Singulares quippe eorum mortes fuerunt
non alterius quispiam debitum suo fine persolvit, scribit Leo M. Epist.
LXXXIII, ad Palæst. Itaque concludimus verbis Augustini in Medit.

c. 14. Omnis spei & totius fidei certitudo mihi est in pretioso
sanguine Christi:

חַתֵּן דָּמִים אַתָּה לֵ:

Sponsus Sangvinum es mihi.



Fd 2082

ULB Halle
004 222 318

3



8b

8c

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



13

SPONSUS SANGVINUM

Nomen, quo Zippora Filium in Itinere circumcisum vocavit (*Ex. 4, 25.*)

Exod. IV. 15. 16.

EXERCITATIONE THEOLOGICA
EXPLICATUM,

Quam

DEO AUXILIANTE

IN ACADEMIA REGIOMONTANA

H.

Sub Praesidio

DN. BERNHARDI von SANDEN,

S. Th. Doctoris & Prof. Prim. Concion. Aulici Prim.
& Consiliar. Consistorial.

babebit

GODOFREDUS HENRICUS GOLTZ,
Regiomont. Prussus.

A. MDCCXII. d. 18 Julii H.L.C.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.